

ματαις και επισαντες συνηρασαν αυτον και ηγαγον εις το συνεδριον. Populi Iudaici enim, Sacerdotes et proceres hunc Christi cultorem criminis falsae prophetiae reum accusabant, qui non alibi quam a Synedrio magno iudicandus erat, si uero regulas suas de falso propheta examinando obseruare uoluissent, illum criminis absoluissent, et innocentem declarassent, nam nullibi legimus, quod Stephanus bona, sed mala solummodo Israelitis uaticinatus sit, quae mala uaticinia si non eueniunt, egregium, ex sententia ipsorum, testimonium praebent de misericordia diuina erga peccatores.

## §. III

STEPHANVS AB OMNIBVS SYNEDRII ASSES-  
SORIBVS CONSPICI POTERAT SEDE  
BANT ENIM IN FORMA AM-  
PHITHEATRI

Memoria est dignissima relatio de LOCO et FORMA *confessus* Septuaginta et unius Seniorum, quam inuenimus tam in *codice* סנהדרין ipso, quam in huius *expositionibus* aliisque MAGISTRORVM scriptis. Locum pro diuersa temporis, reipublicaeque Iudaeorum status ratione uarium fuisse, nemo est, qui ignoret. Nam tempore Mosis illa septuaginta et unius Seniorum congregatio *לפני פתח אהל מועד ad ostium tentorii testimonii* fuisse, a) sacris in literis perspicue legitur. Sed quum populus Israeliticus Palaestinam occuparet, et illam ex promissione diuina possideret, ob inquietam uero turbatamque reipublicae, a uicinis saepius hostili manu infestatae, conditionem ancipiti fortuna uteretur, semper LOCVS

D

tum

a) Num XI, 16. 24. collato cum Cap. XXVII, 2.